

Bñica i quinquagesima de christia. fi. firmi.

aut illi qui libros eis ascripserunt fuerunt christiani: aut non. Primo autem si fuerunt christiani: quod tales libros eis tam mendaciter ascripserunt: cum lex christiana tam seuerè mendacium persequitur. Ps. testante qui ait: Perdes oēs qui loquuntur mendacium. Quod etiam asserunt deum multa fuisse locutum que ibi narrantur: et personis quibus libri intitulantur si hec vera non extiterunt. Quomodo insuper libri isti ita autentici extiterunt atque ita divulgati esse talium auctorum: nisi fuissent eorum: et ipsi auctores autentici extitissent. Unde August. xxi. lib. de ciui. dei. c. ij. loquens de christo ait: Prius christus per prophetas deinde per seipsum postea per apostolos quantum satis est indicat locutus. Scripturam perdidit que canonicè notat eminentissime auctoritatem. Et in decretis di. ii. c. Si ad scripturas admissa fuerint officiosa mendacia: quid in eis remanebit auctoritatis: que tandem de scripturis illis sententia profertur: cuius pondere potentiose falsitatis obteritur improbitas. Et. c. ego iterum ait: Ego solis eis scriptorum libris qui canonici appellantur didici hunc timorem honorisque referre ut nullum eorum scribendo errasse audeam credere: aut si in eis aliquid offēdero quod videatur contrariū veritati: nihil aliud existimo quam mendosum esse codicem vel non esse affectum interpretem quod dictum est: vel me mime intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego ut quanta licet scititate quanta doctrina polleat: non ideo veram putem quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi per alios auctores vel canonicas vel probabiles rationes: quod a vero non abhorreat persuadere potuerunt. Secundo autem si illi qui predictos libros scripserunt non fuerunt christiani: non videtur verisimile quod voluerint tales libros scribere atque alijs ascribere et sectam et ritum viuendi magnificare cuius contrariū credebant et obseruabant. Hec Scotus ubi supra.

Que pertinent ad fidem christianam quanta diligentia sint recepta. Capitulum. iij.

Quarta firmitas est diligentia recipientium que sic patere potest. Aut enim nulli credes de contingenti quod non vidisti: et ita non credes mundum factum fuisse ante te: nec locum esse in mundo in quo non fueris: nec istum esse patrem tuum: nec istam matrem tuam: et sic talis incredulitas destruet totam politicam vitam. Si autem vis alicui credere de contingenti quod tibi non est nec fuit

euidens: communitati maxime credendum est siue illis quos tota communitas approbat: et maxime si communitas illa famosa est et honesta: et cum maxima diligentia recipit approbanda. Talis vultus est scripture canon. Quanta nepe apud iudeos de libris habendis in canone solertia fuit: et tanta apud christianos de libris recipiendis tanquam autentici quod de nulla scriptura per autentica habenda tanta sollicitudo inuenta est: precipue cum tam solennes communitates de scripturis ipsis curam gesserint tanquam de pertinentibus ad salutem necessaria. Unde August. lib. xvij. de ciui. dei. xxxvij. c. ait: quod etiam scriptura enoch de qua iudas in canonice sua mentionem facit non recipit in canone. Et multe alie scripture de quibus fit mentio in libris regum. ubi aperte demonstrat quod illa sola in canone recepta sunt que auctores non sicut homines sed prophete diuina inspiratione scripserunt. Et. xl. c. ait: Illi israelite quibus credita sunt: et loquia dei nullo modo pseudo prophetas cum veris parilitate sententie perfunderent: sed concordantes inter se atque in nullo dissentientes sacrarum litterarum veraces ab eis cognoscebant et tenebant auctores. Hec etiam Scot.

Articulus. ij. ubi ponuntur alie quattuor christiane fidei firmitates. Prima est de honestate et rationabilitate credendorum in christiana fide. Capitulum. j.

Prima firmitas est honestas seu rationabilitas credendorum et in christiana fide contentorum. Sane sola catholica fides credit deo. Nam christiane fidei solius deus veritatis imo deus veritas testis est. Nam siue credat per miracula seu per oracula prophetarum ubique et in omnibus illi credit cuius testimonijs credit. Qua de re si in aliquo erraret quod tamen impossibile est: non ei esset imputandum sed ipsi testificanti deo cuius fidei ipse est dator testificator et doctor. Sola enim christiana fides ad spem venie gratie et glorie subleuat humanam corda: dum predicat imensam magnitudinem misericordie dei: et tam imensam quam miseriam nostram assumere dignum est. Nulla etenim via magis suaderi communitati generis humani potuit: deus glorie sue nos velle habere socios quam per hanc quam misericordie nostre consortium inuenit et multo efficacius quam tam ignominiosam atque acerbissimam mortem subire. Quid enim magis ad spem venie mentes erigere potuit et verisimiliter ostendere valuit